ſub num. 15. Schambogen *eôd. tit. n.* 31. ac
noviſſimè Clariſſ. P. Henricus Hardter de *LL.*
q. 4. *art. un. n.* 9. nobis probabilior videtur;
eſto contrariæ patrocinentur numeroſi DD.
Reding *d. q. contr.* 7. *n.* 8. Haunold *cit. tract.* 1.
num. 68. Engel ad *cit. tit. num.* 51. Gletle *ubi*
ſupra num. 23. P. Wieſtner ad *eund. tit. n.* 113.
Clariſſimus P. Schmalzgrueber *ibid. num.* 42.
171 Ratio eſt I. Viatores gaudent privilegiîs lo-
corum, per quæ tranſeunt; nec tenentur
LL. communes, in patria quidem receptas,
ſed in locô tranſitûs abolitas, obſervare ex
num. 162. Ergo cùm ferant locorum com-
moda, viciſſim incommoda ſupportent, opor-
tet, quæ pari cum commodis paſſu procedere,
ſuadet æquitas & æqualitas naturalis, agnita
in *cap. qui ſentit* 55. *de R. I. in* 6. *l. ſecundùm* 10.
ff. eôd.
172 Neque reſpondeas, hanc æqualitatem aut
æquitatem non attendi, quando commodum
& incommodum ex diverſa cauſa deſcendit;
ſicuti contingit in præſenti, ubi commodum
non ſupponit Jurisdictionem localem, ſed in-
173 commodum. Nam præterquàm, quòd
Jurisdictio, ex mox dicendis, hic neutiquàm
deficiat: paritas cauſæ quoad commodum
& incommodum relucet ex eo, quòd com-
modum loci quis ideò ſentiat, quia membrum
locale, pro tempore tranſitûs, æſtimatur, &
ab obligatione Juris Communis eximitur:
conſequenter & incommodum ex eodem ti-
tulo, quòd membrum locale pro tempore
tranſitûs reputetur, refugere nequeat.
174 Ratio eſt II. Legislator cujuscunque loci
particularis vult & poteſt advenas ad Leges
particulares adſtringere. Vult: nam, expe-
rientiâ Magiſtrâ, in transgreſſores pœnâ vel
mulctâ animadvertit. Poteſt: quia non ſo-
lùm cuilibet Legislatori concedenda eſt po-
teſtas, ſui territorii felicitatem per obſervan-
tiam ſtatutorum reſpectu quarumlibet perſo-
narum, etiam ſub negatione tranſitûs, pro-
175 movendi; ſed etiam de factô plerique ex Au-
thoribus contrariis admittunt eidem poteſta-
tem, peregrinos & advenas ad obſervantiam
Legum peculiarium cogendi, quando vel
æquè condecent advenas, ac incolas; vel
quando Leges illæ non minùs in loco domi-
cilii quàm tranſitûs obſervantur; vel quan-
do feruntur in bonum commune, quod
perinde viatores quàm ſubditi promovere
valent.
176 Si exiſtimes: tranſitum eſſe Juris Gentium,
vel poſſe negari peregrinis, eſto Legibus par-
177 ticularibus ſe nolint ſubjicere. Contra
eſt: quia tranſitus poteſt toties negari, quo-
ties juſta negandi cauſa ſuffragatur. Eſt au-
tem cauſa negandi perquàm juſta, ſi quis Le-
gibus, in bonum territorii latis, parere recu-
ſet. Unde ſtatuitur
178 Ratio III. Leges particulares, qualescun-
que ſint, reſpiciunt, emolumentum & tran-
quillitatem territorii particularis: cùm enim
Lex omnis reſpiciat ſalutem illius communi-
tatis, pro qua fertur ex *cap.* 1. *num.* 16. Lex
quoque particularis ſalutem illius territorii,
pro quo fertur, reſpiciat, opus eſt. Ergo 179
qui ſunt in territorio, etiam breviſſimô tem-
pore, Legibus particularibus inflectere cer-
vicem, earumque executione ſalutem terri-
torii, quantum eſt in ſe, promovere compel-
luntur. Alioquin, ſi viderent inco- 180
læ, Leges ab advenis impunè ſperni, ad quas
ipſi tam ſeverè adiguntur, ſcandalum ſume-
rent, & æquali libertate Legale jugum excu-
terent: id, quod providè notatur in *cap. illa* 11.
Diſt. 12. & *cap. conſilium* 2. §. *item de illis. de Ob-*
ſervat. jeun.
Nec ſatis eſt, dicere, ſcandalum jam ab alia 181
Lege, Naturali ſcilicèt, cohiberi. Enimverò
ne ſcandalum, Lege Naturali prohibitum,
eveniat, Legislatorum quivis vigilare, & oc-
caſionem ſcandali præſcindere tenetur.
Ratio IV. incola, è territorio ad breve tem- 182
pus aliorſum migrans, pro tempore abſentiæ
deſinit obligari Legibus territorii ex *num.* 159.
adeóque pro tunc non manet ſubditus in
actu. Ergo à contrario advena, ad breve
tempus in alieno territorio converſatus, inci-
pit pro tempore præſentiæ Legibus illius ter-
ritorii vinculari, ac pro tunc eſſe ſubditus lo-
ci. Sicut enim abſentia à loco ſuſpendit 183
authoritatem Legis, & obligationem ſubditi:
ita præſentia in loco excitat poteſtatem Le-
gis, & inducit obligationem ſubditi. Unde
perpetua SS. Patrum mens & ſententia eſt, ut
cujuscunque Eccleſiæ, ad quam quis venerit,
conſuetudini ſe conformet *cap. quæ contra* 2.
Diſt. 8. *cap. illud* 4. *cap. illa* 11. *Diſt.* 12. *cap. in*
nova 22. *XVI. q.* 7.
Solet quidem ad authoritatem SS. Patrum 184
reponi, eam vel deciſivam non eſſe, vel con-
ſilii tantùm non neceſſitatis gratiâ in citatis
textibus allegatam. At, quia SS. Pa- 185
trum doctrina hac in parte concors inveni-
tur; neque vel S. Pontifex, vel Concilium,
vel ratio contrarium evidenter convincit:
magis utique SS. Patrum, quàm aliorum DD.
authoritas veneranda, & eorum aſſertio præ-
cepti locô reſpicienda videtur.
Dices I. qui territorium alienum ingredi- 186
tur, poſt breve tempus receſſurus, non ſub-
jicitur loci jurisdictioni: neque enim delin-
quere, neque contrahere ibidem ſupponitur.
Ergo deficit titulus jurisdictionis ex parte Le-
gislatoris, & cauſa ſubjectionis ex parte via-
toris.
Reſp. I. argumentum retorqueri poſſe. 187
Quando eô fine dictantur Leges, ut ſpeciale
damnum à provincia avertant, quod æquè
advenæ ac incolæ inferre poſſunt, etiam in
Adverſariorum opinione, tam advenæ quàm
incolæ obligantur; & tamen neque delictum,
neque contractus adeſt, ratione cujus adve-
næ loci jurisdictioni ſubdantur.
Reſp. II. extra forum delicti, domicilii, & 188
contractûs ſupereſſe jurisdictionem proroga-
tam, quæ ad fundandum forum & ſubjectio-
nem eſt ſufficiens *l. ſi ſe* 1. *ff. de Judic.* & ibi
Expoſitores. Nam peregrini ipsô factô & ta-
citâ

citâ voluntate jurisdictioni illius loci, in quo
degunt, ſe ſubmittere cenſentur: dum ſciunt,
vel ſcire debent, non aliter ipſis concedi tran-
ſitum aut commorationem in loco, niſi ultro-
neè ſtatutis & Legibus localibus ſe ſe ſubdide-
189 rint. Et ſicut, qui transfert domicilium
in alium locum, eô ipsô vult obligari Legibus
loci permanenter: ita, qui alicubi vult ad
breve tempus morari, eô ipsô vult, aut velle
debet ſubdi pro tunc regimini illius loci quoad
ea, quæ ad mores & obſervantias locales per-
tinent.
190 Dices II. in dubio benignior eſt pars am-
plectenda. Sed dubium eſt, velítne Legis-
lator localia ſtatuta ad peregrinos extendere,
an non? Ergo pars benignior, quæ extenſio-
nem negat, eſt amplectenda.
191 Reſp. in noſtra ſententia dubium non eſſe,
utrùm Legislator ſub obligatione Legis pere-
grinos velit comprehendere: cùm enim &
bonum commune intendat promovere, id-
que per extraneos non minùs quàm cives
promoveatur; & ſimul extraneos, Legis
violatores, vindictæ ſubjiciat: voluntas obli-
gandi peregrinos nimiùm elucet.
192 Dices III. in *cap. à nobis* 21. *de Sentent. excom-*
municat. decidit Pontifex, excommunicatio-
nem latam in omnes, qui furtum commiſe-
rint, extendi ad illos ſolos, qui ſunt de Juris-
dictione excommunicantis. Cujus deci-
ſionis alia non erat ratio, niſi quòd extranei
non obligentur ſtatutis particularibus.
193 Reſp. I. pleroſque Interpretes cum Panor-
mitano *cap. à nobis* explicare de excommuni-
catione latâ non per modum ſtatuti, ſed præ-
cepti. Notum verò eſt, præceptum afficere
perſonas, ſtatutum autem reſpicere territo-
rium, & perſonas, in illo exiſtentes: adeóque
præceptô obligari ſolos ſubditos, ſtatutô om-
nes, qui exiſtunt in territorio. Suarez *d. l.*
num. 12.
194 Reſp. II. ſi *cap. à nobis* ita exponere placeat,
ut ſententia excommunicationis per ſtatutum
lata fuiſſe dicatur, tunc vel affirmari poſſe
cum Caſtropalao *ubi ſupra n.* 15. quòd etiam
advenas comprehendat, ſi furtum in territo-
rio commiſerint, ſecùs, ſi extra territorium:
quia, licèt perpetui & permanentes ſubditi
non ſint, ſunt tamen tranſitorii; vel negari
cum Barboſa in *collectan ad d. c. n.* 4. quòd pa-
ritas ſit inter ſtatutum cenſuræ, & ſtatutum
aliud: dum illud antecedentem & ſtabilem
ſubjectionem deſiderat; hoc tranſitoriâ con-
tentum eſt.
Dico IV. Qui in territorio Eccleſiæ præci- 195
pientis exiſtunt, ſed exemptionem habent,
obligantur particularibus Legibus ſolùm in-
directè. Ratio eſt: quia tales, licèt in terri-
torio commorentur, non tamen ſunt de ter-
ritorio. Et conſequenter Legibus territorii,
de quo non ſunt, directè nequeunt obligari.
Quia tamen æquum eſt, ut communitati, 196
quæ eſt de territorio, perſonæ exemptæ in
operando ſe conforment, ne infirmi & rudes
ſcandalum aut ſiniſtram opinionem conci-
piant, hinc occaſione Legis & indirectè obli-
gantur. Suarez de *LL. lib.* 4. *cap.* 20. *n.* 6. Re-
ding *d. art.* 3. *in coroll.* Stadlmayr *cap.* 4. *th.* 6.
Palao *d. punct.* 24. §. 6. *num.* 11. Pettſchacher
d. q. 4. *a.* 11. §. 4. *corollar.* 2. König *cit. l. n.* 16.
Excipiuntur I. cenſuræ & interdicta, quæ, 197
ſi à locorum Ordinariis promulgentur, à qui-
buscunque exemptis in eorum Eccleſiis pub-
licanda & ſervanda ſuant. *Trid. Concil. ſeſſ.* 25.
de Regular. cap. 12. II. dies feſtivi, quos 198
ſervandos in ſua diœceſi Epiſcopus præcepe-
rit: hos enim omnes exempti, etiam Regula-
res, ſervare tenentur. Trid. *cit. l.* Barboſa de
Off. & pot. Epiſc. alleg. 105. *n.* 12. *& ſeq.*
Dico V. Vagabundi, ſive qui nullibi fixum 199
habent domicilium, Legibus quarumcunque
diæceſium, per quas tranſeunt, obligantur.
Reding *d. art.* 3. *contr.* 7. *n.* 18. Pettſchacher
cit. l. §. 3. Palao *d. p.* §. 4. Ratio eſt: quia va-
gabundi non magis exempti ſunt, quàm pe-
regrini. Ergo cùm iſti Legibus localibus te-
neantur, illi longè magis tenebuntur: partim 200
quia alias Leges perticulares, juxta quarum
amuſſim operationes ſuas inſtituant, non ha-
bent: partim quia omnium locorum, per
quæ tranſeunt, ſubditi cenſentur; ibique con-
veniri poſſunt, ubi inveniuntur.

SECTIO IV.

De Effectu Juris Canonici.

SUMMARIA.

201. *Leges Eccleſiaſticæ obligant in conſcientia.* 202. *& ſeqq. Sed primùm elapsò jam bimeſtri; ſi univerſales ſint.* 208. *& ſeq. Aliud eſt de particularibus.* 210. *& ſeqq. Non requirunt acceptationem populi.* 215. *& ſeqq. Adverſariorum ſubterfugia præcluduntur.* 221. *& ſeqq. Obſtacula removentur.* 230. *& ſeq. Diverſitas ignorantiæ.* 232. *Vincibilis non excuſat à culpa vel pœna.* 233. *Habet tamen ſuos gradus.* 234. *Invincibilis poteſt verſari circa varias Leges.* 235. *Excuſat à culpa in Lege præceptiva.* 236. *& ſeqq. Item à pœna ſpirituali; non autem temporali.* 243. *& ſeqq. Non excuſat à nullitate in Lege annullante.* 250. *Niſi irritatio fuerit in pœnam ſtatuta.* 251. *Leges Eccleſiaſticæ poſſunt mutari.* 252. *& ſeqq. Ab ipſo Legislatore, ſucceſſore, vel ſuperiore.* 257. *Abrogatio vel derogatio Legis indiget novâ promulgatione.* 158. *& ſeqq. Per Legem generalem non abrogatur anterior ſpecialis.* 261. *& ſeqq. Legislator, ſucceſſor, aut ſuperior in Lege diſpenſant validè ſinè cauſa.* 265. *Inferior in lege ſuperioris absque cauſa validè diſpenſare nequit.*

§. I.

§. I.

A quônam tempore Legum Eccleſiaſticarum obligatio incipiat?

201 EFfectus Juris Canonici ſeu Legum Eccle-
ſiaſticarum eſt earundem obligatio in
conſcientia, quam in *cap.* 1. *n.* 221. *& pluribus*
ſeqq. per extenſum excuſſam invenire licet.
A quônam verò tempore hæc obligatio du-
cat initium: an ſtatim à tempore promul-
gationis; vel poſt lapſum duorum menſium
à die promulgationis? Nunc diſpiciendum,
& diſtinguendum eſt inter Leges Eccleſiaſti-
cas univerſales, & particulares. Quâ cum
diſtinctione.
202 Dico I. Leges Eccleſiaſticæ univerſales
non obligant in actu ſecundo, niſi poſt lapſum
duorum menſium à die promulgationis. Ita
præter Authores, qui in *num.* 12. *&* 13. pro-
mulgationem in ſingulis provinciis requi-
runt, concludunt Reverendiſſ. & Magnific.
DD. Stadlmayr de *LL. cap.* 4. *th.* 5. *lit.* 6. Sant-
Gallenſes *de LL. ſect.* 1. *q.* 5. *concl.* 3. P. Mezger
diſp. 34. *art.* 1. *n.* 13. P. Wenzl *q.* 4. §. 3. *f.* 130.
& plures ab his nominati contra Suarezium
l. 4. *cap.* 15. *n.* 17. Pettſchacher *d. q.* 4. *art.* 6.
concluſ. 4. Clariſſ. P. Wieſtner de *Conſtitut.*
num. 68. Clariſſ. P. Krimer ad *eund. tit. n.* 178.
203 Ratio eſt: tum quia *in Nov.* 66. *in rubr. præfat.*
& cap. 1. pro LL. Civilium obligatione tem-
pus bimeſtre poſt promulgationem requiri-
tur, ut nempe totum quaſi Imperium unô
eôdemque tempore ſimul & ſemel obligari
incipiat, ac uniformitas in operando ſtatua-
204 tur: tum quia conſtitutio ejusdem *Nov.* non
tantùm generali receptione à Jure Eccleſia-
ſticô aſſumpta, ſed ſpeciali conſtitutione pro-
bata videtur, dum Pius IV. in Bulla *ſicut ad ſa-*
crorum, Anno 1564. editâ, poſtquàm conſultus
erat de tempore, quô Concil. Trid. obligare
occeperit, ita reſcripſit: *quia Jure etiam com-*
muni ſancitum eſt, ut conſtitutiones novæ vim non
niſi poſt certum tempus obtineant, æquum nobis &
juſtum viſum eſt, prædicta decreta à Calendis Maij
proximè præteriti omnes obligare cæpiſſe. Quò
etiam quadrat rotundus textus in *cap. quia*
cunctis 1. *de Conceſſ. præb. in* 6. ibi: *quòd Lex ſeu*
conſtitutio & mandatum nullos adſtringunt, niſi
poſt tempus, intra quod ignorare minimè debuiſſent.
205 Neque ſatisfacis, ſi cum *cit.* P. Krimer
num. 180. dicas: Jus Civile per præfatam Pia-
nam Bullam non recipi abſolutè, ſed quoad
prædicta tantùm; nec cum determinatione
bimeſtris, ſed lapſu alicujus intervalli inde-
terminati. Nam contra eſt: quia S. Ponti-
fex inprimis ſupponit, utrôque Jure, Cano-
nicô & Civili, ſancitum eſſe, ut quæcunque
novæ conſtitutiones non ſtatim obligent à
momento promulgationis: quia dicit inde-
finitè: *Jure Communi, & conſtitutiones novæ.*
Deinde ſupponit, certum tempus de Jure 206
communi determinatum eſſe, quô in actu ſe-
cundo nova Lex obligationis faciat exordium
in *verb. non niſi poſt certum tempus.* Ergo licèt
S. Pontifex in *cit.* Bulla non præcisè tempus
bimeſtre pro Concilii obligatione præſcribat,
ſed tempus trimeſtre; ut conſtat ex Bulla alia,
quæ incipit: *Benedictus DEUS,* in qua Con-
cil. confirmatum, ac ſub finem menſis Janua-
rii præcedentis Romæ publicatum legitur:
nihilominùs Jus Civile abſolutè & quoad de-
terminationem bimeſtris recipit, tempusque
longius pro Tridentini obligatione ideò tan-
tùm expreſſit: quia à die promulgationis *non*
parum temporis in exemplaribus *diligenter emen-*
datéque imprimendis neceſſariò conſumptum fuit,
uti fatetur ipſemet Pius IV. in *cit. Bulla ſicut*
ad ſacrorum. Ex quo
Colliges: nullam eſſe repugnantiam, quin 207
S. Pontifex tempus ſubinde majus, ſubinde
minus bimeſtri ad Legum univerſalium actua-
lem obligationem, pro materiæ ac circum-
ſtantiarum diversâ conſideratione, determi-
nare valeat: quandoquidem ex natura rei
ſpatium duorum menſium non exigitur, ſed,
ſi tempus aliud expreſſum non ſit, ex tacita,
& præſumpta Legislatoris voluntate requiri,
rectè defenditur.
Dico II. Leges Eccleſiaſticæ particulares 208
ſtatim à tempore promulgationis in actu ſe-
cundo obligant. Abbas in *cap. cognoſcentes* 2.
de Conſtitut. n. 7. P. Engel *eôd. tit. n.* 66. eôque
teſte communis. Ratio eſt: quia Leges par-
ticulares poſſunt citiùs in notitiam ſubdito-
rum devenire; ſicque uniformitas in ope-
rando ſperari poteſt, etſi certum tempus pro
incipiendâ obligatione non ſit definitum. Et
ita ubivis locorum & Gentium obſervari, ac
eos puniri videmus, qui Legem localem pro-
mulgatam temerè infringunt. Con- 209
cedendum tamen, & ab omnibus admitten-
dum eſt, neque particularis, neque univer-
ſalis Legis transgreſſorem multari poſſe, ſi
Legis conſtitutæ notitiam, etiam elapſis duo-
bus menſibûs, non acceperit, ſicuti paulò
inferiùs in §. 3. deducetur.

§. II.

An Leges Eccleſiaſticæ obligare incipiant, antequàm à populo Chriſtiano ſint acceptatæ?

210 ITa exiſtimo, & dico: Leges Eccleſiaſticæ
ſuum valorem & obligationem habent in-
dependenter ab acceptatione populi Chri-
ſtiani. Ita integer Doctorum exercitus,
Card. de Luca *de alienat. diſc.* 35. *num.* 12. *de*
Benef. diſc. 13. *n.* 12. *Relat. Cur. diſc.* 2. *n.* 44.
Suarez *l.* 4. *c.* 16. *n.* 2. Reding *art.* 2. *controv.* 2.
num. 13. Stadlmayr *c.* 4. *th.* 5. *l. c.* Engel de
Con-

Conſtit. n. 68. Pettſchacher *q.* 4. *art.* 7. Mez-
ger *diſp.* 34. *a.* 3. *n.* 16. Wenzl *quæſt.* 4. §. 3.
Reſol. 4. Rambeck in *Panoplia diſp.* 2. *cap.* 7. *co-*
roll. 2. *n.* 7. ubi ex Bonacina notat, non unum
ſed plures Pontifices vivæ vocis oraculô de-
claraſſe, ſententiam contrariam non eſſe re-
cipiendam. Ratio palmaris eſt. Legislator
Eccleſiaſticus poteſt obligare independenter
à conſenſu & acceptatione populi: partim
quia abſolutam ligandi poteſtatem à DEO im-
mediatè accepit, eamque independenter à
Concilio exercere poteſt ex *num.* 67. partim
quia Summi paſtoris & gubernatoris, non ve-
rò ovium eſt, diſcernere, an Legem ſervari
212 expediat, nec ne? Habet præterea S. Pon-
tifex voluntatem, Legem independenter à
fidelium acceptatione ferendi, eique effica-
ciam obligativam tribuendi: dum non tan-
tùm mandat, & imperat, ut Lex promulgata
ſervetur, ſed etiam in non-ſervantes pœnas
ac cenſuras fulminat. Ergo, cùm ad Legis
obligationem plura non exigantur, quàm vo-
luntas & poteſtas Legislatoris, Lex Eccleſia-
ſtica ſufficienter promulgata populum Chri-
ſtianum ſinè acceptatione obligat.
213 Confirm. I. Lex Naturalis & Divina ante
omnem acceptationem hominum obligat.
Ergo etiam Eccleſiaſtica. Conſequent. prob.
Ideò Lex Naturalis & Divina ſic obligat, quia
utraque procedit à poteſtate Superiori ante
omnem voluntatem & conſenſum humanæ
gentis. Sed etiam Lex Eccleſiaſtica procedit
à poteſtate Superiori ante omnem fidelium
Chriſtianorum voluntatem & conſenſum.
214 Ergo &c. II. Legislatori Eccleſiaſtico,
juſta & juſtè præcipienti, fideles obedientiam
exhibere tenentur. Sed ſi Legislator Eccle-
ſiaſticus Legem promulget, juſta & juſtè præ-
cipit. Ergo fideles obedientiam exhibere
tenentur. Atqui non tenerentur obedien-
tiam exhibere, ſi Legem acceptare poſſent,
vel reſpuere: nam qui juſſa capeſſere, vel
negligere pro ſuo valet arbitrio, jubenti pa-
rere non compellitur. Ergo &c.
215 Reſpondebis I. ſubditos quidem teneri Le-
gislatori Eccleſiaſtico obedire, quando obe-
dientiam determinatè poſtulat; ſecus, ſi ex
ſua benignitate nolit imperium eſſe efficax
ante, quàm ſubditi comprobaverint.
216 Contra eſt I. Vel Legislator intendit con-
dere veram Legem; vel non? Si non; aë-
rem verberamus, & in vanum de Legis obli-
gatione diſputamus. Si ita; erit illa Lex ju-
ſta & juſtè præcepta; ſicque habebit ſubditos
217 ad paritionem obſtrictos. Contra eſt II.
Lex diſtinguitur eſſentialiter à conſilio ex *cap.*
1. *n.* 66. Atqui ſi Legislator ex ſua benignita-
te permittat populo liberum, velitne Legem
acceptare vel non, Lex non diſtinguitur eſ-
ſentialiter à conſilio. Poteſt enim verò po-
pulus (abſtrahendô à caſu & circumſtantia
Legis) in aliqua neceſſitate vel perplexitate
conſtitutus adire Legislatorem, atque ex eo
ſciſcitari, quid agendum & faciendum ſit? Et
tunc, ſi Legislator aſſerat, ſibi videri conſul-
tum, ut res hôc vel illô modô inſtituatur;
optare quoque, ut ita fiat, non tamen præci-
pere, ſi populus non velit: certè non Legem,
ſed conſilium populo dediſſe dicitur. Cur?
Quia populo libertatem ſequendi reliquit.
Ergo etiam, ſi Legislator dicat, ſuam quidem
mentem & voluntatem eſſe, ut populus v. g.
diem S. Georgii pro feſtivo celebret; nolle
tamen populum habere obligatum, niſi ultrò
acceptaverit: non imperâſſe, ſed conſuluiſſe
dicendus eſt. Contra ex III. Si ex con- 218
niventia Legislatoris liceret populo recuſare
Legem, Legem ſinè omni cauſa recuſare lice-
ret: quia ſinè voluntate obligandi Lex non
obligat. Sed hæc ſequela ab Alexandro VII.
de Anno 1665. eſt damnata in hiſce formali-
bus: *populus non peccat, etiamſi absque ulla cauſa*
non recipiat Legem, à Principe promulgatam. Er-
go &c.
Reſpondebis II. populi Chriſtiani volunta- 219
tem in gravioribus duntaxat & difficiliori-
bus; non autem levioribus & facilioribus
conſtitutionibus efflagitari. Contra eſt: 220
partim quia rationes adductæ nullam diſtin-
ctionem inter Leges admittunt: partim quia
ipſemet Legislator Eccleſiaſticus præviâ con-
ſultatione cum ſuis Conſiliariis deliberat, ſit-
ne Lex acerba nimiùm, difficilis, aut gravis?
Et ſi compererit, eſſe accommodatam mori-
bus & genio ſubditorum, promulgat. Sin
incommodam intellexerit, nec vult, nec po-
teſt promulgare juxta *n.* 88. *& ſeqq. d. cap.* 1.
Objicies I. *cap. in iſtis* 3. *Diſt.* 4. ubi dicitur: 221
Leges inſtituuntur, cùm promulgantur; firman-
tur, cùm moribûs utentium comprobantur. II. 222
cap. cùm olim 6. *de Cleric. conjug.* ubi Innoc. III.
conſiderans, *quòd Orientalis Eccleſia votum con-*
tinentiæ non admiſerit, declarat, Græcos in mi-
noribus Ordinibus matrimonium rectè con-
trahere, & in ſuperioribus matrimoniô jam
contractô licitè uti poſſe. III. quòd plu- 223
rimæ Leges Eccleſiaſticæ in deſuetudinem
abjerint, ex nulla alia ratione, niſi quòd uſu
nunquàm fuerint receptæ.
Reſp. ad I. textum Gratiani non de firma- 224
tione Juris, ſed facti accipiendum eſſe; eô vi-
delicèt intellectu, quòd uſus & obſervantia
Legis Legem in effectum deducat, non ex
voluntate populi, ſed imperiô Legislatoris.
Cùm enim ipſemet Gratianus aſſerat, inſtitu-
tionem & ſubſtantiam Legis à promulgatio-
ne haberi; nequeunt utentium mores aliam
quàm extrinſecam confirmationem Legi ſu-
peraddere.
Ad II. Reſp. text. *cap. cùm olim* neutiquàm 225
ſupponere, quòd in voluntate Græcorum
ſteterit, velintne Legem continentiæ Cleri-
calis acceptare vel recuſare; ſed mentem
Pontificis tam benignam fuiſſe, ut Græcorum
infirmitati deſcendere, ac continentiæ præ-
ceptum illorum indoli non adeò conveniens,
ad Eccleſiam Orientalem non extendere vo-
luerit. Repetatur *num.* 121. Ad III. Reſp. 226
Leges, quæ uſu non receptæ dicuntur, opi-
tulante conſuetudine, legitimè introductâ,

vim obligandi perdidiſſe. Neque tamen ex-
inde licet arguere, etiam non-acceptationem
227 populi vim Legi adimere. Enimverò
conſuetudo, ſi rationabilis & juſta ſit, non tam
ex conſenſu populi, quàm Legislatoris autho-
ritatem accipit: cùm tamen ſola non-acce-
ptatio ex libero ſubditorum arbitrio prove-
niat, Legislatore diſſentiente, & contradi-
228 cente. Et inde eſt, quòd, licèt non-re-
ceptio Legis ſit occaſio & prima quaſi diſpo-
ſitio ad conſuetudinem contra Legem; ta-
men non ſtatim perimat, nec ſubditos à Legis
obligatione eximat, ſed potiùs tamdiu ſtrin-
gat, quàmdiu requiſita legitimæ conſuetudi-
nis non concurrunt. Sicque patet, quàm 229
ſolida ſit ſententia, in *cap. 9.* probanda, quòd
conſuetudo contra Legem nequaquàm con-
ſurgere poſſit, niſi per actus formaliter pec-
caminoſos, factos nempe contra Legem pro-
mulgatam & obligantem, ex propoſito & vo-
luntate eam abrogandi: quia Lex non deſinit
obligare, quòd populus eam ſervare nolit.

§. III.

An Legum Eccleſiaſticarum obligatio deſinat propter ignorantiam?

130 PRænoſcendum I. ignorantiam Legis aliam
dici vincibilem, aliam invincibilem. *Vin-
cibilis* eſt, quæ potuiſſet ſuperari, ac, compa-
ratâ Legis notitiâ, quæ non erat impoſſibilis
aut difficilis, depelli. Eſtque voluntaria ali-
quando directè, aliquando indirectè; craſſa
ſubinde, ſupina, & graviter peccaminoſa; ſub-
inde excuſanda, & leviter tantùm culpabilis.
131 *Invincibilis eſt*, quæ ſuperari non potuiſſet, nec,
comparatâ Legis notitiâ, quæ erat impoſſibi-
lis aut difficilis, deponi.
132 Prænoſcendum II. ignorantiam vincibilem
neque excuſare à culpa, neque à pœna. Non
primum: quia ex *num* priori habet adjun-
ctum voluntarium, vel directum, vel indire-
ctum. Non ſecundum: quia pœna conſe-
133 quitur culpam, velut umbra corpus. Quia
verò ignorantia vincibilis poteſt eſſe tantùm
venialiter culpabilis, ut quia ad eam vincen-
dam adhibita quidem eſt diligentia, ſed minùs
ſufficiens; debet in illo caſu pœna eſſe pro-
portionata culpæ; nec infligi pœna capi[illegible]lis,
ubi culpa tantùm eſt venialis. Pettſchacher
loc. mox *citandô.*
234 Prænoſcendum III. ignorantiam invinci-
bilem poſſe verſari circa triplices Leges: præ-
ceptivas, pœnales, & irritantes. De quibus
omnibus in præſenti quæritur, an obligare
deſinant perſonas, Legis exiſtentiam invinci-
biliter ignorantes.
235 Dico I. Ignorantia invincibilis Legis præ-
ceptivæ excuſat à culpa. Omnes. Ratio eſt:
quia Leges non obligant ad culpam, quos ob-
ligare non poſſunt. Sed ignorantes obligare
non poſſunt ad culpam, ut qui perinde dire-
ctionis ſunt incapaces, ac amentes, infantes,
& dormientes. *Cur enim*, ait Imperator in
*Nov. 66. cap. 1. culpabimus eos, qui poſitas noſtras
ignoraverint conſtitutiones?* Ergo &c.
236 Dico II. Ignorantia invincibilis excuſat à
pœna ſpirituali quâcunque. Haunold de *J. &
J. tr. 1. n. 120.* P. Engel ad *tit. de Sent. excom-
municat. n.* 10. *& ſeq.* Pettſchacher de *LL. q. 5.
art. 2. p.* 167. Videtur eſſe deciſa concluſio in
cap. ult. de Conſtit. in 6. ubi Bonifac. VIII. ita
ſtatuit: *ut animarum periculis obvietur, ſententiis,
per ſtatuta quorumcunque Ordinariorum prolatis,
ligari nolumus ignorantes. Dummodo tamen eo-
rum ignorantia ſupina non fuerit & craſſa.*
Dixi tamen I. *à pœna ſpirituali.* Quando 237
enim pœna eſt temporalis, & delinquens ſcit
quidem, actum eſſe prohibitum, neſcit ta-
men, pœnam in transgreſſores eſſe conſtitu-
tam, tunc receptiſſima in praxi eſt ſententia,
delinquentem, non attentâ ignorantiâ, pœnâ
affici poſſe: videmus enim, vix non quotidie
ſuſpendi fures, rotâ confringi latrones, gla-
diô necari homicidas, eſto tales malefici pœ-
nam à Lege præſtitutam ignoraverint. Cu- 238
jus ratio eſt: quòd actus, contra Legem po-
ſitus, jam obnoxius ſit pœnæ; ſicque igno-
rantia pœnæ non faciat, quò magis à pœna
quis excuſetur. Haunold *cit. l. n.* 103. Mag-
nif. DD. Pettſchacher *ibid. p.* 107. & König
de *Conſtitut. ſub n.* 24.
Non me præterit, Covarruviam in *relect.* 239
*cap. alma mater de Sent. excommunic. in 6. p. 1.
§. 10. n. 9.* idem, quod de pœnis temporali-
bus modò diximus, de pœnis quoque ſpiri-
tualibus docere, quando videlicèt delinquens
ſcit, actum eſſe vetitum à Lege Eccleſiaſticâ,
Divinâ, aut Naturali, pœnam verò ignorat.
Sed diſplicet hæc parificatio. Nam *cit. cap.* 240
ut animarum apertè loquitur de ignorantia
cenſuræ, conjunctâ cum ſcientia actûs pro-
hibiti: cùm cauſa, ob quam cenſura infertur,
ſit peccatum mortale, Jure Divinô aut Natu-
rali prohibitum, quod illicitum eſſe, omnibus
facilè cognitum eſt, ait P. Engel *cit. num.* 10.
Paritas verò de pœnis temporalibus vel ideò 241
claudicat: quia illæ propter inobedientiam
erga DEUM & vindictam ſceleris infligun-
tur; pœnæ verò ſpirituales præſupponunt
aliquam contumaciam erga ipſam Eccleſiam,
& potiùs in medicinam quàm vindictam im-
ponuntur. Idem *ibid. n.* 11.
Dixi II. *quâcunque.* Ut includerem non 242
ſolùm cenſuras propriè dictas, ſed etiam irre-
gularitatem, aliasque inhabilitates, ſi ex de-
licto & in pœnam interminentur: eò quòd
ſæpe *cit. cap. ut animarum* generaliter & indi-
ſtinctè de *ſententiis, per ſtatuta prolatis*, conce-
ptum, velut favorabile latiorem interpreta-
tionem recipiat.
Dico III. Ignorantia invincibilis Legis Ec- 243
cleſiaſticæ irritantis non reddit actum à nul-
litate immunem, ſi irritatio non ſit conſtitu-
ta in pœnam. Suarez *Lib. 5. cap. 22. num.* 7.
Palao

Palao *diſp. 3. punct. 12. num.* 8. Haunold. *d. l.
num.* 109. Pettſchacher *d. q. 5. art. 3. f.* 176.
244 König *d. n. 25. reſp. 3.* Ratio eſt: quia
Leges irritantes toties habent ſuam vim, quo-
ties adeſt ratio boni communis, ob quam ſta-
tutæ ſunt. Sed ratio boni communis adeſt,
ſive lex ignoretur, ſive ſciatur: quia utrôque
caſu pericula, fraudes, & incommoda poſſunt
irrepere; & potiora quidem in caſu ignoran-
tiæ (quam plerique transgreſſores allegare,
ſuumque in commodum obtendere, non
erubeſcerent) quàm in caſu ſcientiæ. Ergo
Leges Eccleſiaſticæ irritantes actum invali-
dant, ſive ſciantur, ſive ignorentur.
245 Dices: Leges Eccleſiaſticæ irritantes non
habent vim in caſu neceſſitatis, quando for-
ma, per Leges præſcripta, obſervari non po-
teſt. Sic enim matrimonium, ſinè Parocho
contractum in locis, ubi Parochus haberi non
poteſt, uti in quibuſdam locis Indiæ, Hollan-
diæ, Friſiæ, Angliæ &c. valet, non obſtante
decretô irritante Trident. Concil. *ſeſſ. 24. de
ref. matrim. cap.* 1. prout expreſsè Cardinales
246 declarâſſe feruntur. Sic ipſimet *cap. 1.
num.* 214. admiſimus, neceſſitatem Legi non
ſubjacere, ac alienationem rerum Eccleſiæ
immobilium, in caſu neceſſitatis extremæ ſinè
ſolemnitatibus factam, ſubſiſtere concluſi-
mus. Ergo etiam in caſu ignorantiæ non ha-
bent vim Leges Eccleſiaſticæ irritantes: cùm
æquè obſervatu evadant impoſſibiles, ac in
caſu neceſſitatis.
Reſp. caſum neceſſitatis non eſſe æquipa- 247
randum caſui ignorantiæ. Neceſſitas ſiqui-
dem, cùm abſolutam & inevitabilem impoſſi-
bilitatem ſervandi Legem indiſpenſabiliter
ſecum trahat, nequit ſubeſſe Legi, quæ im-
poſſibilia injungere, & imponere nequit *d.
cap. 1. n.* 88. Ignorantia verò non trahit ſe- 248
cum abſolutam & inevitabilem impoſſibilita-
tem ſervandi Legem: cùm Lex, publicè pro-
mulgata, ſit & debeat eſſe per ſe apta percipi à
tota communitate. Ergo à Legis obligatio-
ne non eximitur, ſed magis increpatione
quàm excuſatione digna cenſetur in *l. regula 9.
& tot. tit. ff. & Cod. de Juris & facti ignorant*,
adeò ut etiam in regulam Juris abjerit: quòd,
*qui contra Jura mercatur, bonam fidem non habere
præſumatur cap. qui contra* 82. *de R. I. in 6.* Un- 249
de qui Profeſſionem Religioſam emiſit ante
annum decimum ſextum, invalidè profitetur,
eſto neſciverit, profeſſionem tam immatu-
ram ab Eccleſia irritatam eſſe.
Dixi tamen: *ſi irritatio non ſit in pœnam con- 250
ſtituta.* Nam irritatio, quæ magis pœnam
quàm ſolennitates reſpicit, uti v. g. eſt Lex,
irritans emptionem-venditionem propter ga-
bellam, non ſolutam, culpam præſupponit;
quæ in illo eventu, ubi Lex irritans ignoratur,
præcedere non poteſt. Authores ſupra *cit.*

§. IV.

An & quomodò Leges Eccleſiaſticæ mutationem ſubeant?

251 DIco I. Leges Eccleſiaſticæ veram muta-
tionem ſubeunt. Patet ex antiquiſſi-
ma Eccleſiæ praxi; & probatur: quia Leges
Eccleſiaſticæ ſunt voluntariæ & arbitrariæ:
adeóque quâ libertate ſunt fixæ, eâdem refi-
gi poſſunt. Unde vel ex toto abrogari poſ-
ſunt; vel ex parte illis derogari, vel cum una
vel altera perſona diſpenſari poteſt.
252 Dico II. Leges Eccleſiaſticæ poſſunt mu-
tari ab ipſo Legislatore, ejus Succeſſore, vel
Superiore, & nonnunquàm ab inferiore.
Concluſio quatuor membra complectitur.
253 Primum eſt manifeſtum ex ratione, mox da-
254 tâ. Secundum conſtat ex *cap. innotuit* 20.
de Elect. cap. exiit 3. de V. S. in 6. ubi habetur,
quòd par in parem, & Succeſſor in Succeſſo-
rem non habeat poteſtatem, quâ manus illi,
& liberam diſponendi, regendíque faculta-
255 tem liget. Tertium docet fortiſſima ra-
tio: quia inferior nequit conſtitutiones Su-
256 periori præſcribere. Quartum unanimis
ferè DD. conſenſus evincit, dum Epiſcopum
v. g. in Lege Eccleſiaſticâ univerſali diſpenſa-
re poſſe, aſſerit, quando urget neceſſitas di-
ſpenſandi, periculum in mora imminet, ac
valde difficilis eſt ad S. Pontificem recurſus:
quia non eſt credibile, voluiſſe S. Pontificem
Legem ſuam in ejusmodi contingentiâ red-
dere indiſpenſabilem. Suarez *lib. 6. cap.* 15.
Palao *diſput. 6. punct.* 4. Haunold de *J. & J.
tract. 1. num.* 212. Pettſchacher *quæſt. 7. ar-
tic. 3. §. 4.*
Notandum verò arbitror I. Legem novam 257
ab- vel derogatoriam veteris, æquè ac novam
promulgari debere, veluti verior mihi ſen-
tentia cum Vaſquezio contra Suarezium *lib. 6.
cap. 27. n.* 16. docet: partim quia revocatio
Legis non minùs quàm conſtitutio Legis eſt
vera Lex & ordinatio rationis ad bonum com-
mune: partim quia Lex, ſicut obligare non
incipit ſinè voluntate Legislatoris, per
promulgationem manifeſtatâ & declaratâ;
ita obligare non deſinit, niſi eâdem Legis-
latoris voluntate ipſa Legis caſſatio ſit publi-
cata.
II. per Legem poſteriorem contrariam ab- 258
rogari quidem priorem generalem, etiamſi
prioris nulla fiat mentio; non tamen abroga-
ri priorem ſpecialem, ſi expreſſa illius mentio
non fiat. Bonifacius VIII. in *cap. licèt 1. de
Conſtitut. in 6.* Rationem differentiæ ſug- 259
gerit ipſe Pontifex in *d. cap.* quia Leges gene-
rales Legislator, qui *omnia Jura in ſcrinio pecto-
ris habet*, ſcire; Leges verò particulares, *cùm
ſint facti & in facto conſiſtant*, ignorare præſu-
mitur. Et ideò ſi in Jure Canonico, in De- 260
cretalibus, Sextô, Clementinis &c. una Lex
alteri adverſa reperiatur, illa, quæ eſt in Sexto
v. g. tanquàm junior prævalet illi, quæ eſt in
Decretalibus, tanquàm ſeniori. Neutra ta-
men